

§. 13. *Geographia civilis est territoriorum intelligentia.* (a) *Geographia,*
 Duplex est Terra quam inhabitamus *consideratio*, una *natura-*
lis, quâ Terra spectatur ut mundi pars & commune phæno-
 menorum mundanorum observatorium; altera *moralis* seu
 civilis, quâ Terra spectatur ut humanæ vitæ receptaculum &
 hominum commune diversorium, humani generis hæreditas & possessio, ex morali conventionem in diversos populos
 certo modo distributa: *prior* consideratio pertinet ad Philo-
 sophiam naturalem, ubi quæcunque sciri possunt de Tellure
 ex principiis astronomicis eadem opera demonstrantur, nec
 quicquam prætermittitur, quod scientiam peculiarem con-
 stituere posset, nisi cramben bis coctam ad nauseam velis
 apponere. Videatur *Spherica Euclidea*, res fiet Sole clarior.

*Non physice
spectata,*

§. 14. *Posterior* consideratio pertinet ad Philosophiam
 moralem, tum in genere & signatè quâ præcisam possessibili-
 tatis, communitatis, proprietatis, occupabilitatis (ut de im-
 perio maris) &c. rationem, ad ipsam Ethicam; tum in specie
 & exercitè quatenus ab hoc vel illo possidetur populo h. e.
 quatenus sub *Territorialitatis* formâ spectatur, ad Politicam,
 & quidem factas jam divisiones & quæ notatu digna sunt nu-
 dè saltem sed concinnè recensendo, ad Historiam; sed quo-
 modo occupatæ partes ornari, limites extendi, vel defendi,
 hostium partes invadi &c. decenter & commodè possint &
 debeant, ad penitiorum Politicam, ut postea sequetur. Sed
 ut hæc res meliùs tradi queant & intelligi, *Historica territorial-*
is, h. e. *Geographia civilis*, proæmii loco quæ jam in Astrono-
 mia demonstrata sunt paucis repetit, & ne Politicæ studiosi
 illotis manibus moralis Philosophiæ sacra tractare præsu-
 mat, aurem quasi vellicando monet, ut, si perfectam ejus rei
 scientiam assequi velit, ipsam priùs consulat Philosophiam
 naturalem. Quoniam autem quæ *Geographia*, quatenus
 Astronomiæ contradistinguitur, tradit, nudæ saltè sunt expe-
 rientia & observationes, igitur ipsa seorsim definita *Territo-*
riorum Intelligentia potius quàm *Scientia* dici debet.

Sed civiliter

*Nisi quæ
principia
mutuatitia*

§. 15. *Chronologia civilis est rerum gestarum juxta consti-* (b) *Chrono-*
logia,